ORPHEI LYRA
SIVE
De Harmonia triplicis Mundi
Diuini, Ætherei, & elementaris.

ORATIO


Habita in auspicijs professionis litterariæ Ab Andrea Taurello I.C. Diuionen.

In inclyta Bononiensium Academia publico professore.





BONONIAE, Typis Nicolai Tebaldini. 1627.
De Consensu Superiorum.



ILLVSTRISS.

ORDINIS SENATORII PATRIBVS.

ANTONIO CAMPEGGIO

DVCI Æ Comiti Palatino, &c.

VEXILLIFERO

CÆTERISQVE PATRITIIS

Nobilitate, Virtute, & dignitate conſpicuis Viris;

Andreas Taurellus I. C. F.



VOS in Vrbis veſtræ conſpectu, (AMPLISS. PATRES.) concentus explicuit ORPHEVS; eoſdem nunc è ſua LYRA, ad aures omniũ eliquat. O Vtinam! vel eloquentiæ gẽmis variegata, vel Tulliano ſegmenta-

ta auro, ea prodiret à me, qua CITHAROEDVS ille, Musę filius, diuinissimis cantillationibus, neruos olim moliebatur; fortean à suo pretio, mellitissimoq. cantu, apud æquos æstimatores nomen haberet, quod patritiæ dignitatis amplitudo, quod VRBIS, & ACADEMIÆ primariæ splēdor requireret. Vbi tamē sua plectra ad omnem obsequij vestri concentum obtēperat; vbi videri adnititur vestræ beneuolentiæ conciliatricula; Date illi, ac nobis; O Litteratorū Mecœnates optimi patētes aures, & fores animi vestri; studebimus, grauiora non oscitanter euigilare,

quibus

quibus tam grãde amoris peculiũ nobis ex officio mercabimur. Vos interim (VRBIS TOGATÆ PRINCIPES) quibus vnicè cura eſt melioris litteraturæ extorres artes, veteri lumine, & gloria ſpoliatas reſtituere, puſillum hoc ingẽtis obſeruantiæ noſtræ monumetum benignè admittite; & me veſtri æternùm colentem amate, fouete. e Muſæo.

IDIB. XBR. CIↃ.IↃCXXVII.

quibus tam gratis [illegible] possit
nobis ex officio [illegible] Vos
interim, VRBIS TOGATAE
PRINCIPES, quibus vnice ea
est melioris literaturae [illegible]
tes, veteri lumine, & gloria [illegible]
tas restituere, pusillum hoc ingenii
observantiae nostrae [illegible]
benigne admittite, & me vestri
aeternum cultorem amate, Va-
le. e Museo.

IDIB. XBR. CIↃ IↃCXXVII.

ORPHEI LYRA

SIVE

De Triplicis Mundi

HARMONIA.

ORATIO

AD BONONIENSES


ETVS olim fuit opinio (ILL.ME & REVER.ME PRÆSVL, Sapientissmi Senatores, Clarissimi Doctores, cæteriq. Vos virtute, & doctrina ornatiss. Auditores) illorum etiã insita mentibus, quos à veritatis luce superstitionis caligo excludebat; cum Cœlestium numinum auspicijs, omnia tum corporis, tum animi commoda, & ornamenta hominibus aduenire soleant; ipsorum auxilia, quæ glomerantibus gratijs totum amoris iter emetiuntur, non oscitanter á nobis esse postulanda. Veluti de ORPHEO, Calliopes filio, Græcorum monumentis cõtestatum habemus; qui sub APOLLINIS auxiliari pręsidio, Sapientissimi ad uirtutem cõparandam antistitis, seiunctus ab illis omnibus, quæ multis fatalium obiecta calamitatum procellis, caduca prorsus, & inania fallam

bono-

bonorum adumbrant speciem, directum iter admi- mortalitatem terere, & tenere voluit. Ego qui præ- nimia ingenij imbecillitate, conditionis, & fortunæ tenuitate, tanti vatis, ac philosophi vestigia sequi, ne dicam assequi, haud valeo; vt aliqua saltem insignia virtutis adipiscar, in hoc primo hodiernæ dissertationis consessu, aliquoue procul ab inani popularis auræ, famæque palpo, laudabilis doctrinæ ornamẽto possim recreari, Gloriosissimũ PETRONIVM huius inclytæ Ciuitatis Bononiæ, & Academiæ tutelarem Diuum, meum Apollinem, voto lõgè fortunatiori aduocabo; a cuius feliciter auspicati patrocinij lumine, nos hodie humanarũ litterarum professionis viã capessentes, & in hãc præstantissima virorum illustrium celebritate, orationis vela in altum explicantes; liquidissimam bonæ mentis, & doctrinæ lucẽ, vt a vero Musarũ huiusce Lycei Musagete deriuare videamur. ORPHEO Testudinis fides cõcinnè tractante, aer mulcebatur, syluæ præcipites allectæ dulcedine neruorum conspirantium afficiebantur, saxa, feræ & homines numerorũ pondere detinebantur; quid vltrà? ad eiusdẽ symphoniæ suauitatẽ, etiã flumina retrouersa cõstitisse ferũt. Vtinam (Auditores ornatiss.) eloquentis vocis argutа proiectione talis Citharœdus, talem ego gloriã non immerenter, in amplissimo conspectu vestro, delibarem, conarer, & omni ratione cõtẽderem in hoc sublimi, conspicuoq. differendi loco, illorũ ve-

Gherar. lib. 1. de hist. Bonon.

ſt ga-

ſtigia ſequi,quibus in eodem olim, vel ob doctrinæ varietatem in docẽdo, vel ob eloquentiæ mellifluo rore ſtillantis vbertatem in dicendo, rei litterariȩ Senatus magnorum cognomina indidit, & in perpetuum confirmauit. At niſi cum illis tanti nominis gloriam auſim ſuſtinere, niſi Citharȩdus, aulædus ſaltem à vobis haberi velim, qui famam apud vos meditari aggrediar, quam apud alios prouocaui. Volenti date animum, ò viri dignitate, nomine, & meritis eximij, eo benignitatis veſtræ, & amoris vltronei ſplendore illuſtratus, diſcuſſa craſſioris ignorantiæ noſtrȩ caligine, non verebor elocuturus de LYRA ORPHEI, in hoc frequentiſſimum Auditorum illuſtrium theatrum, velut in arenã dicendi nobiliſſimam proſilire.

Ferunt in Thracia Græciæ regione, ex Apolline, Muſaque Calliope natum ORPHEVM à natura vatem compoſitum in oſtentationem omnis harmonicæ facultatis; quippe qui ab ipſis incunabulis dulceſonantis aſpectu Citharæ, ita commoueretur, ut nutricẽ non ſolũ tentaret lachrymis flectere, ſed eam tenellis identidem vrgeret pugnis, ſi poſcenti inſtrumentũ non illico miniſtraret. quam naturȩ propẽſionem, quæ in eius puerilis ȩtatis flexione ſupra portẽtum erumpebat, fruſtrà conabantur educatores in infantulo nõ dicam extinguere, ſed ab illo reprimere, vel aliqua cautione remouere. firmiori ſiquidem iam annis facto corpore, vbi magis, ac magis fodicabant inſitæ naturæ ſemina

συμμετρίαν, καὶ συγκλωνησίαν εἰς ἀρετῆς κόσμου. Aiē congruentiã habilitatemq. ut virtutem admittat Max. Tyrii differ. 37.

pueriliter in triuijs citharizare, dissentientesque atonos indoctè lacessere exultabat; at que vbi in vulgus, agrestiumque multitudinem, parum adhuc idoneus ad hoc aurium voluptatis instrumentum sustinēdum emanabat, circumcursantium corona tam suaui, tā dulci, scitoq. semimusico fabulas, ac cantilenas ad ornamentum familiæ, ac æmulationem paternę laudis adorienti mirum in modū ablandebatur. Sed acriori cura postmodum, Virtutis illius assecutus insignia, cuius ad æternitatem, iam sibi gloriam adūbrarat, quò felicius fauet et ingenij cultissimi studijs, animiq. tranquillitatē, sapientiæ procreatricem sibi compararet in auios Thraciæ montium recessus abscedebat, vbi nullis ambitionis motibus, qui mentem inuadere, ipsiusque diuinas functiones disturbare solent, auersus á Cælestium contemplationis cursu, in desertis illis regionibus, diuinarum rerum cognitioni firmissimè inhærebat. Dum verò quandoque plectrum Citharæ admoueret, dum modulatione vocis, varijsq; canēdi sonis, summa, media, infima turbaret, ac misceret, *Proh* sancte Apollo! cantionibus, ac numeris non modo Tygres, Apros, Leones, & id ferarum genus, ex ergastulis, terrarumq. specubus alliciebat, sed etiam ventos colligebat, volucresq. flumina montes, & syluas ad audiendam tantæ dulcedinis harmoniam rapiebat. Erat enim sapientis huiusce Vatis Cithara, quam á Delphico Deo, multiplice fidium numero sonorā acceperat, sic ad omnia Cœlestium

Lucul'ēter Euripi. in Hecuba.

lestium

lestium numinum choreumata ab Apolline effor-
mata, vt siue diatonico diuinus ille Citharœdus in
tumesceret, siue cromatico consonantiarum nu-
meros variaret, vel in harmonico totam possideret Musicarum copulationum συζυγίαν non solum in hominib. sed etiam in brutis & sensu carentibus plenum iucunditatis sensum proseminaret. Si quidem vbi iugi tenore sonitum altè accipiens spiritū intendebat, vel tremulo plectro digitos vrgens minutatim remittebat; vbi leui murmure vocem introrsus turbinans, gutture manui, pari discrimine respōdebat, si cōtinuo pulsu trahebat in longū, si variabat inflexo, si distinguebat concilo, si copulabat intorto, tanta vis inerat in harmonico illius cōsensu, ea in cantu diuinitas, talis in ore lepos, vt ipsi modulanti, veluti cuiusdam sacrosanctæ potestatis iure, volucres in aere, pisces in aquis, in solo quadrupedes, in mōtibus syluæ, & in imis Plutonis aulis pallentes etiam vmbræ obsequerentur.

Iam vos ego vedere videor (Ornatissimi Viri) ex ista tam suaui, dulcique ORPHEI LYRAE harmonia, aliquid maximum, & admiratione dignum in allusione fabulæ expectare, nobis igitur liceat Oedipum cōsulere, liceat vt est in parœmia nucem frangere, si nucleum esse velimus, siquidem latet in hac scrobe thesaurus, & hac cōcha pretiosissimæ cla udūtur margaritæ. Sub harmonica ORPHEI CITHARAE dulcedine, consonantissimam in Deo, & eius operibus modulationē, per concinnos rerum crea-

 tarum

tarum gradus, omni tonorum conceptu dispositam adumbrari proponamus. Diuinissimam auté in eo, Harmonia i. in Deo. velut in maximo mundi Archetypo reperiri, á qua concordent omnes omnium specierum differentiæ, cuius, & imaginis nihil in rerũ natura sit, quod nõ aliqué veluti tonum præse ferat, nullus e numero sapientum quantumuis insulsé de Deo pronuntiantium, vel ab omni sæculorum vetustate, potuit inficiari. Thales Milesius, q inter philosophos Græcos primá tenuit exedrá, Deũ credidit menté, quæ ex Aqua cuncta confingeret. Anaximenes Aerem, qui séper in motu omnia produceret. Parmenides Æthera, Xenocrates sidera, Pythagoras animum, qui per naturas rerum omnium numerosè commearet. Nos verò longè verius, e Philosophia CHRISTI hæc antiquorum commenta respuentes, SACROS.^{tm} TRINITATEM, vniuersi procreatricé affirmamus, in qua licet, e fidei tabulis, tres psonas distinguamus, VNVM tamen solũ DEVM veneramur, vt ex ternaria musicarũ vocũ copulationé ὑπάτης, Νεάτης, καὶ Μέσης, grauis, acutæ, & mediæ; vna tñ perfectissimè canora pducitúr HARMONIA. Quod equidem religionis nostræ mysteriũ, primus ille philosophiæ creditor videtur etiam suis in numeris agnouisse, dum pro omnium principijs; è quibus absolutá voluit vniuersarum rerum emanare συζυγίαν, vnum posuit, tum numerum, & infinitum; per vnũ essentiam indicans, per nume-

rum

rum diuersitatem respectuum in personis, per infinitū denique principiorū propriū, ipsā nēpe æternitatē. Illū etiā DEVM VERVM MAGNVM πρωτόγονον naturam ingenitā omnia cōsonantissimè à se producentem, antiqui bellè videtur inumbrasse sub inuolucro vetustiss. cuiusdā numinis, quē dixere ΠΑΝΑ, elegāti fictionis penicillo, sic à Poetis exquisitè delineatū. prominebāt in eius capitis vertice bina cornua, sūma quibus in superos, inferosq. potentia maximi Dei referretur, protēdebat in mēto ad ima vsq. prolixior barba, qua diuinæ maiestatis virtus denotaretur, inferiora habebat vegeta, robusta, hispida, stellatā gerebat in pectore nebridim, dexteraq. virgā & sinistra fistulā: septē calamis cōpositā; quibus vbiq. in Cœlo, soloq. Panis oīa continentis infinita potestas, immensaq. fœcunditas adūbraretur. quid verò illū solū in Echo deliciari assererēt? vt aliarū, ni fallor, in TRINITATE personarū, exactissimā nobis operirēt imaginē, quam ante CHRISTVM DEVM clarè, & apertè nemo vnquā potuit reserare. Echo Verbum Dei, plena patris intelligentia, & proles, vel ipsa cū Orpheo Pallas, qua cuncta ---- *diuino numine fecit*

Ille opifex rerum mundi melioris origo.

e cuius reciprocanti voce, veluti mutua vtriusq. contēplatione, mutuus procedit amor, qui tertiā in diuinis personā lepidè nobis proponit, & adūbrat. quarū HARMONIAM qs posset ò Cœlites enarrare! vel

Orph. apud Lact. lib. 1. de fals. relig. c. 5

quis

quis ad earum sublimia choreumata, vocis organa, plectra, fidesq. instrum ti valeret adaptare! nó ego reuerà, non ego, quamuis ad feruidos, acutosq. SE-
Hyß. 15. Trinitat. RAPHINOS eleuarer, quamuis inter TRONOS;
Dan. & Io. &DOMINATIONES grauioribus sententiarũ numeris pronuntiarem, vel suauitate CHERVBICA delectarer, vel robustiori POTESTATVM voce dissonos hæreticorum flatus comprimerem, vel cũ ARCHANGELIS mirabili facundia concinerẽ, vel deniq. cũ ANGELIS inenarrabili melodia circumsonarem. Ne igitur (Auditores) extra nos in illis, quæ humana latent ingenia, naturalesque transcendunt discursus lõgiùs aberremus; Citharæ neruos ad submissiorem tonum paululũ remittamus, & in Ætherea modulatione, Cœlestium Orbium, dum cirumuoluuntur concentus harmonicos contemplemur. Referunt Pythagorei, quibus assenti-
Harmonia in Cœlis. tur celebra issimus Plato, e consonantissimo Cœlorum motu, illorumq. distantia, perpetuaq. circũuectione, vnde omnia, quæ in hac elementari regione viuũt, contemperantur, suauissimam conflari HARMONIAM, quæ si auribus humanis, vel sensu, aut cogitatione percipi posset) incredibili sui concentus dulcedine impotentes in nobis amores excitaret, quæ modulamenta chororum, Cœlestiũ orbium, & intelligentiarum, quòd non in aere spisso, vel igne, ad aures vsq. nostras resonent, nullá admirationis ansam nobis præbere debent; siquidem ab il-

illis ordinatissimis mentibus concentus exer-centur, qui sensibus nostris occlusi, solis illis Syrenibus peculiares perhibentur; ex illa tamen subli-mi consonantia, rebus inferioribus fœcunditatem mandari, incolumitatem mũdi procedere, quod in omni denique natura bonum, ac pulchrum est, emanare cõprobamus. Dum enim quotidiana, nec alterabili vertigine suis celerrimis motibus circũferuntur, cõcordi lumine, & actione occulta quadã ἀπορρήτῳ, inferiora à nõ existentia, siue priuatione ad formã excitant; excitata fouent, alunt, recreant, potentiore vi, & amore, quàm quondam ab ORPHEO, vel Amphione ad Thebarum muros construendos raperentur saxa canoræ modulationis delinimento. vt verò motiones illæ cœlestes, & influxus concinni forent, summus ille *Archimusæus* voluit intelligentias vnicuiq; Orbi, & singulis *Planetis* præponeres, quæ diffusæ per duodena signa in omnibus rebus inferioris mundi, numericam componerent, diffunderentq; melodiam. SATVRNO præposita dicitur annis XXX. motum perficere, illa verò, quæ IOVI præest, annis XII. vt inde resultet velocitatis motuum proportio duplex sesquialtera, Iouis ad MARTEM qui biennio, sescupla; Martis demum ad SOLEM, VENEREM, & MERCVRIVM dupla, qui omnes vno penè anno, cuiusq; suæ Sphæræ volumen complere perhibentur. *At* ipsius Saturni motus ad FIRMAMENTVM millecupla, & ducen-

cupla proportione velocior esse creditur, ab ijs, qui octauam sphæram quibuslibet centum annis, vno gradu moueri contra primum mobile, cum *Ptolomæo* autumarunt. qui quidem egregius Cœlestiū trutinator, vt in musica triplicis toni differentia cōsideratur, triplicem etiam motuum præcipuorum conditionem in Cœlis obseruauit. *Primi Motoris* proprius, velocissimus est, vt simplicissimus, & maximè regularis, qui sub Polis *Mundanæ* Sphæræ ἀεὶ ὡσαύτως, καὶ ἰσοταχῶς, circulis æquatori parallelis naturalis diei spatio reuoluitur, qui indeficienti circumgyratione totā Ætheris molem secū rotat, & aliorum omnium motuū est gubernator, inter tonos altiorem, velocioremq. NEATEN repræsentat. Huic rapidissimo alter contranititur tardissimus, qualis est in tonis vox grauis Hypate, quem in illo Cœlesti *Orbe* stellulis aureis circumquaq. illustrissimo super Eclipticā lineam, & Polos Zodiaci ab occasu versus *Ortū* IX. & XL. millium annorū interuallo, suam reuolutionem completurum docent. Præter hos motus, tertium *Alphōsini* in octauo Orbe deprehendūt, quem accessus, & recessus, vel trepidationis motū, intrepidè, nominarūt. Hūc *Aqui*lone in *Austrū*, sup. duob. paruulis circulis, quorū poli sūt capita Arietis, & Libræ nonæ *Spheræ*, moueri, mediamq. sibi constituere in harmonia Cœlorū, modulationem dixere. *Siq*dem non directè primo illi celerrimo contranititur, sed moderato de-

1. Mobile.

Motus Cæli stelliferi.

Motus accessus, & recessus.

flexu

flexu septem millium annorum spacio simul cum alijs duobus concorditer circumactus perfectissimam absoluit in suis periodis, numeris, & mensuris harmoniam. Ijs omnibus, & alijs orbibus, qui circa axem voluuntur, supereminet Empyreum Cœlum firmissimum, stabilissimum, mundi supremus terminus, essentiæ diuinæ δαίτιμαι, Viuentium regio, quò assumptus filius Dei, cũ nostri corporis pignore, quò denique iustorum euolant animæ mortalitatis nexu solutæ. verè ille inter Cœlos est Olympus, ὅλος λάμπρος, totus lucidus, non quidem luce densa, quæ radios fundat, sed, vt volunt magni viri, quòd ab ipso vni-trino Deo, vbi maximè redditur conspicuus, incomprehensibili luce perfundatur. ò admirandam in supremis illis sedibus, discordis Naturæ conuenientiam! ò dulcissimam dissonantium Cœlorum conuenientiam! quæ rerum omnium inferiorum choræas ad illius superioris HARMONIÆ LYRAM, inexplebili delectatione componit. Verùm non solùm in illis purissimis regionibus, suos VRANIAM mulcere cantus, longè quidẽ suauiores, perfectioresq quàm qui ad delitias humanas, vel aurium pruritus, aut voce, aut instrumentis excitantur; sed etiam inter elementa ad Cœlorum concentum suauissimam conspirare harmoniam, ostendamus. Elementis, rebusq. quodammodo cõtrarijs, vel inter se dissentientibus omnia in inferioribus, sapientissimum summæ melodiæ artificem

Cœlum Empyr.

Bed. in ἐξαήμ. χῶρα ζώντων

Harmonia III. in Elementis.

C tem-

temperasse,& admirabili proportione colligasse, ad Pythagoreorũ Citharam non inconcinnè cecinit olim Boetius.

Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis
Arida conueniant, liquidis ut purior ignis
Euolet, vt mersas deducant pondera Terras.

Siquidem talis est in illis repugnantia, vt vires suas vicissim frangendo,& se aliquatenus corrumpendo, non solùm exitio non sint ipsi mundo, sed conseruationi,& ornamento, summisq; viribus ad bonum vniuersi tuendum, mutuo, concordiq. fœdere conspirare videantur. illius verò rei naturalis causa quaternionis virtuti à Pythagoreis assignatur, in quo omnem Musicam cõsonantiam, proportionem quippe duplam, triplam, quadruplam, sesquialteram, & sesquitertiam contineri docuerunt; vnde resultat Diapason, bisdiapason, diapente, diatessaron, & diapason vnà cum diapente. Inde forsitan emanauit illud in eorum schola iuramentum per Tetractyn, alludentes ad Hebræorum tetragrammon, á quibus secretiora philosophiæ dogmata suscepisse, nullus e doctorũ numero videtur inficiari.

Quatuor aũt illæ qualitates, quibus elemẽta combinantur maximam adinuicem proportionem retinent. Terra siquidem frigida,& sicca; frigidum proprium retinet, in sicco verò igni coæquatur. Aqua humida,& frigida; humidum proprium retinet, in frigido cum Terra participat. Vnde sicut se habet

Terra

Terra in frigiditate cum aqua,pari modo se habet in siccitate cum igne, & hic in caliditate cum aere, qui in humido Aquæ coaptatur. Sed aliam insuper conuenientiam Physicorum scrutatores in Elementis contemplati sunt;siquidem aiunt propria quædã esse in vniuersi complexione εἰκότα φύσικα, siue naturalia accidentia,ad quæ duntaxat Musicæ rationes mirabili quadam naturæ harmonia procedere dignoscũtur. Terræ grauitas,quæ suo pondere subnixa inter elementa est maximè terminata,in hoc Physico cõcentu grauem tonum refert,à qua mobilitas,quò sublimiùs ascenditur,eò concitatior assurgit. nam licet Aqua suo proprio in loco quiescat,motum tamen recipit,vel ab ipsa leniter spirante aura: Aer est mobilis lentiùs tamen igne subuolat,ignis celeritate,& mobilitate excellit, sed celeriores sunt Æthereæ molis Sphæræ,quæ perfectissimo motu velocissimè circũuoluuntur.

Grauitati connexa est opacitas,quæ cum in Terreno globo,neque lucem habeat,neq.luci sit peruia, Hypaten vocem in eodem concentu ordinat,& producit;à qua si ad altiorem vsque tonum seriatim progrediamur; in reliquis elementis,simplicibusq. naturis,Harmoniam omni cantu Thracij vatis longè suauiorem reperiemus. Siquidem aqua iam luci transitum præbet, non ita tamen perfectè vt Aer, qui διαφανὴς Mesen in Harmonia refert. Ignis Cœlestibus sphæris conterminus,non modò recipit, diffun-

dit, ac spargit lucem, sed etiam splendore suo omnes euincit, dissipatq. tenebras. Cœlum deniq. natura sua lucidissimum est, licet à nobis Cæruleum propter obscuri, nebulosiq. aeris interstitium videatur.

Grauitati, & opacitati, terræ connata etiã dẽsitas, ad elementaris harmoniæ compositionem accedit, quę gradatim cum chysi, vel vt aiunt liquiditate superiorum corporum circumambientium se coniungens, ab imo ad summum tonum assurgit, seruata tamen hac in illis prioribus naturæ formis analogia: Terra densa est; Aqua Aere contractior, Aer dignitatem habet, sed igne longè inferiorem. Ignis liquitur, & lucem, radios, vimq. calefaciendi, ac rarefaciendi obtinet, sed languidiùs, quã ipsi Cœlestes orbes, sideraq., quæ liquidissima sunt, suisq. radijs latissime se diffundunt. O bene consona Citharistriæ naturæ modulamina! ò suauissimam vbique perfectissimi concentus conspirationem! quæ neque solùm in Æthere, rerumq Cœlestium admiranda compage, & in elementis, sed etiam in homine absolutissimo Dei opere, perfectiori condimento, & eo quidem maiori, quò meliori vita præditus est reperitur. Solus est homo, è cunctis animantibus factus a Deo ad ipsius imaginem, Cœlestisq naturæ participationem; Ideoque elemẽta in hoc nobiliori Dei opificio, supremã quandã sortẽ iure sibi videntur vẽdicare. nõ est igitur mirum si vltra communem cõsonantiam, quam habẽt in alijs compositis omnes adinuicẽ cor-

Harmonia V. in homine.

po-

poreç qualitates, perfectior quędam illarum moderatio in hominis complexione persentiatur, est quidem ipsi bene temperato (si vera docent Physiologi) hæc humorum debita pondera consignari solent. bes datur sanguini, Piruitæ triens, bili deunx, atræ bili vncia, vt vbique fiat proportio dupla, sed primi ad tertium sit quadrupla, ad vltimum verò octupla. tali formatus homo humorum concretione, exultabit in mortali corpore, ita bene in immortali anima temperato, sed vbi contingit ab hac naturali harmonia, vnum humorem discrepare, corruente œconomia, necesse est totam corporis humani symmetriam distemperari. ANIMAM etiam, quam Diuinus Architectus ad sui imaginem procreauit, rationalem esse numerum, quo, cũ omnibus proportionem habens, omnia potest intelligere, iam olim Pythagoras philosophorum parens excitauit, quod ipse Diuinus Plato mirificè postea confirmauit. hanc in humano corpore immersam dicebat Socrates tum primùm altissimo veluti somno consopiri, mox verò concentu, sonorisq. numeris expergefieri, & ab illo velut amoris stimulo primos assumere impetus ad honestæ cuiusli bet actionis munia capescenda. Inde Platonici Magistro adstipulantes rectè dixere particulam illã Cœlestem nobilitate primam, dignitate maximam, præstantia singularem, esse de substãtia diuina, & a Deo emanare, quæ secum duceret numerum, non quidẽ illum diuinum, quo opifex omnia disposuit, sed ratio-

Harmonia v. in Anima.

nalem,

nalem,quo rerũ omnes species intelligeret, omnesq; numeros sibi etiam congenitos, nedum aduentitios comprehenderet.hæc est formalis harmonia humani compositi quæ tanta suauitate á summo moderatore conducitur,tanta dulcedinis excellentia temperatur,vt nihil ad aures diuinas accommodatius, nihil ad humanas perfectius contemplari valeamus.Verũ non solùm ipsas immortales,& diuinas animas voluere Pythagorici numeris constare, sed quæcunq. in vniuersa rerum compositione continentur,omnia ex illorum concentu progigni non immeritò crediderunt;nam si rationem liceat ex abditissimis Physicorũ recessibus indagare,dicamus Pythagorá per numerorùm harmoniam, veluti per efficaciorem virtutem omnia confecta existimasse, quòd numeri sint formæ magis abstractæ, & ideo virtute pollentiores,quam res,quæ à natura sunt.

Hanc harmoniæ vim sensit Rex Hebræorum SAVL,quem olim dulcissima Citharę modulatione Dauid ad sanam mentem reduxit. sensere *Phrænetici*,quibus Asclepiades Medicus, suauitate symphoniæ medebatur. probauere Lacedæmonij, quos inter se tumultuantes, Terpander Lesbius sonoro concentu delinitos in amorem mutuum reuocauit.Neque solùm homines,sed etiam brutas animantes, eo mirifice delectari, quotidianis exemplis experimur. Refert Ælianus Libycas equas tibiarũ cantu mansuescere,& quòcumque cantilenarum blãditiæ illas inuitarint,

uitarint, eò solere pastores consequi. Nota est apud Herodotum, Arionis historia, quem suauissimè fidibus ludentem, cum Delphines audijssent, in mari periclitantem excepere, & ad Tenarum Laconiæ promontorium illæsum peruexere, cui proinde fuit erecta statua, hoc lepido Epigrammate illustrata.

Cernis amatorem qui vexit Ariona Delphin
A Siculo, subiens pondera grata mari.

Tauros itidem aiunt furore percitos sonitu mulceri; canes á latratu desistere, per rura dispersas, ac vagantes Apes in aluearia redire, & serpentes non modo sisti, sed etiam præ delectatione findi. O verè suauē, dulciterq. sonoram ORPHEI LYRAM, quæ Cœlestia elementis, elementa mixtis, omnia deniq. omnibus mirabili connectit harmonia; Hęc est illa Platonis catena, qua vnaquæq. res, aut causa alteri connexa, ab ipsa dependet, quousq. deueniatur ad supremam oīum causam, à qua omnia fluunt, omnia deriuantur. Conueniūt lapides, cum herbis, & plantis, illę cum animalibus, animalia cum elementis, elementa cum Cœlis, Cœli cum Intelligentijs, Intelligentiæ deniq cum diuinis proprietatibus, & attributis. Verùm adhuc percommodè cadit antequam intra carceres, nostra tandem se recipiat oratio, aliquid de sermonis harmonia, hoc est de sapientis viri eloquētia, quam ORPHEI LYRA nobis hyeroglyphica quadā suauitate proponit, disseramus. Colligite parum per animos, Auditores, & attentionem dicenti precariò Harmōnia vi in Oratore.

con-

concedite; materiam hic ego breuiter perstringam, auribus vestris non importunam, loco, & muneri maximè accommodatam, quæ varietate sua stomachũ vestrũ pruriẽtis garulitatis nostrę tędio languscentẽ suscitabit. Quãtũ possumus in vltimã antiqtatis memoriã mentis oculos intendere, maximum semper eloquentiæ cum symphonia commercium ad hominum animos, vel oblectandos, vel in officio retinendos exstitisse reperimus. Ab Hebræis ad Græcos, qui religionem illam in multis imitati sunt in conuiuijs hunc vsum emanasse ferunt, vt inter epulas ad laudes fortium uirorum, cum suauitate prædicandas induceretur symphonia; quam tamen sine sermone non admittebat Plutarchus, & proinde eã ὥσπερ ὄψον ἐπὶ τῷ λόγῳ, veluti quoddam condimentum adhibendam opinabatur. Testatur etiam Euripides in solemni conuiuiorum apparatu hymnos adinuentos esse, vt τοῦ βίου τέρπνας, vitæ iucundas auditu voluptates. nam vbi Lyæus liberiorem effecerat animum, cum blandissima dominia lenocinante suadela, aderat symphonia, quæ sermones magnificos, & fructuosos, instar Lyræ Achilleæ caneret; vt non solùm recrearentur corpora, sed animi maximè uirtutum omnium excellentissimarũ studio incenderẽtur. talis est enim Musicæ suauitatis uirtus, ea modulationis benè concinnatæ energia, vt per illam omnes in homine, facilè hebescãt doloris sensus, omnia que crudelitatis incitamenta sopiantur. quemadmodum olim in Arcadibus,

Lib. 7. sympot. q. 8.

Euripid. in Medea.

cadibus, Lacedemonijs, Thraciēusi populisque ferocioribus visam fuisse proditur, qui in admirationem Diuinæ Musices rapti, deposita ferocitate placabiles reddebantur, omninoq solerent animi perturbationes dulcisonis modulis temperare. magnum equidē nomen, magna laus, vis, & auctoritas HARMONIÆ; sed maior reuera virtus, & gloria SVADÆLÆ, cuius est illa adūbratio, quæq. omniū aures, & animos suauiori dicendi philtro, sola moderari possit, namq. dum Amphiona dicūt vel ORPHEVM syluas, flumina, saxaq. ita cantu suo delinijsse, vt attracta ad Thebarū muros construēdos conuenerint, quid aliud, vos quæso, præter hoc vnum voluerint ipsi intelligere; quàm homines rudes, stupidos, & agrestes, eloquētiæ vi, ac sapientis viri mellifluo sermone, ad mitiorē vitæ cultū incitari! quid aliud explicare! quā hac animorū tyrannide, homines inuitos rapi, ad pietatem flecti, in clementiam deduci, & ad omnē honestæ vitæ institutionem conformari! Apollinis simulacro adstabāt olim Charites, quarum vna citharam, altera tibias, media fistulam manu teneret; stipatur eloquentia triplici dicendi harmonia; inuētione, dispositione, elocutione; quibus vel in Senatu, vel ad Iudices, vel corā populo; veluti solidæ sapientiæ condimentū, prudentis pectoris lumen, consiliorum lampas, mentis diuitiæ, rationis fulmen, humanis motibus, & affectibus efficaciter dominatur. Vis illa est, quæ Euridycen olim ex ergastu-

gastulis Terræ ad vitam reuocauit,quæ Cerbero ipso, ab Inferorum custodia remoto,Plutonis imperium, maiestatéq. labefactauit,quæ deniq.diuina,& humana iura moderans,summa omnia, media, infima sibi iubet obtemperare.Eloquentia reuera Musica est,sed nō qualis illa theatrica,aut profana,quæ infructuosis, vt ait Boetius affectuum spinis, vberē fructibus rationis segetem necat,vel qualis illa Cratonis apud Lucianum,quæ saltationibus,& cātilenis aures,oculosq. spectantium detinens syrenibus, & Lotophagorū cibo æquiparatur. Sed διδασκαλικὴ de qua Tyrius maximus,quæ ex oratione,verbisq.hausta, ad honestam vitam,vitæq.bene institutæ rationē conducibilis,perturbationib. animi morbis mederi solet. Vera illa est Heliconia Musa,quæ amica Homeri, Magistra Hesiodi,Orphei mater fuit,quam Cassiodorus modulatum pro animi sospitate cōponere,& quæcūq. in hac ærumnosa vita tristia sunt, ac luctuosa ablegare dicit.Musica est, inquam, Eloquētia,sed vt Then.istius loquitur παιδευτικὴ, καὶ ἡ ποιησὶς φιλοσοφέση, non alia ratione,nisi dum ad doctrinam,&animi cultum occupata,virtutum laudibus,Heroumq.cātionibus,vnde pietas,Iustitia,fortitudo, bonorumq. proficiscitur æmulatio,hominum animos ad sapiētiam,optimūq. rationis statum mouet,mulcetq & componit. O dulces eloquentiæ musas! ò Suadelá omni suauitate harmonica suauiorem! tu sensuum regina tropis ornata

pro-

procedis;tu philosophiæ præceptis vestita inter vniuer sos orbis Terrarum proceres, Arthemisia lõgè sapien tior, impiosè assides; tu per dulcissimas voluptates incorpoream animam corporaliter mulcendo solo auditu recreas moderaris ,& ad id,quod cupis deducis, per te furores attenuantur,tristitiæ edulcãtur,sæuitiæ comprimuntur, vitiaq.&animorum ærugines inquieta παθήματα expellũtur;per te deniq.tota Cęlestiũ orbium machina,vniuersaq.naturæ couenientia vbiq. dispersa in illa sua dulcedine , & harmonia , vtiliter ab hominibus comprehenditur . Sit igitur(ò lectissima,nobilissimaq.iuuentus,in hoc vestro celeberrimo disciplinarum emporio,vbi , nec vllibi gentium vel fructiosiùs,vel etiam præstantiùs, merces amplissimas sapientiæ potestis mercari)sit inquam illa lateris nostri vernula,e cuius pceptis omnia, quę ad humanæ,diuinæq.vitæ rationem spectãt, nobis comparemus. Nostrum sit nepenthes,cuius pharmaco ęgrotantibus animis medicinam faciamus, noster deniq. sit Eunomus Musarum bonus , & pudicus sacerdos , qui non ad Terpandri modum,vel ad Phrygium,Lydium,aut Doriũ;sed ad sapiẽtis ORPHEI LYRAM plectrum contemperans, Cœlestium rerum , inferiorumq,cognitionem cum animi bonis,& eruditionum supellectile coniungat;quibus ornamentis nos facilè poterimus ad summã gloriam per omnes heroicarum virtutum gradus peruenire.

Cæterùm benigniùs nunc adspirante vestræ bonæ attentionis Fauonio, temporis ratione monemur, in hoc eloquendi pelago vela contrahamus, portumque tandem aliquando cogitemus; vbi finem dicendi facturum iuuabit aliquantulum me recreari, dulcissima humanitatis vestræ cum diuinis illis virtutibus quibus supra vulgus effulgeris, HARMONIA, Raptor illius sublimiori tono, ALBERGATE, Pastor imprimis obseruande, dum mentis auribus vsurpare cogito perfectissimum iustitiæ tuæ, probitatis, & sapientiæ concentum, quo tibi in amplissimo venerandæ dignitatis gradu, totum ordinē populi Bononiensis ad omnem tui amorem, cultumq; demulcisti. Congūnt me Harpocratem fingere, ò Sapientissimi patriæ, & Academiæ PATRES, iam è vestro mortali cōspectu immortalium virtutum prosilientes striceturæ, quæ me reuerentis obsequij radio perstringunt, & constringunt obnubere silētij velo debitorum meorum ergà uos immensitatem, quibus liberali S. C. placuit me ad hoc honorificū PHILOLOGIÆ munus, inter tot eximios vrbis vestræ Doctores moribꝰ & eruditione cultissimos, aduocare; ijs equidem nominibus in ære vestro sensus haud quaquam meq; posse respondere, & sentio, & doleo. O vtinā alter ego ORPHEVS, in encomiastica vestrarum laudum modulatione, erumpēs è felici Calliopes gremio, honorē tanti oneris apud vos iure sustinerem; laureatorum

 vatum

vatum,& ſymphoniacorum decus adæquarem, qui nec entheo furore,nec eburnea teſtudine, cum ſibi pro dignitate arrogare potuiſſent. Quicquid in me tamen obſtare ſentiam,deſiat vires,obſtet inertia, reluctetur vocis aſperitas, meritorum denique veſtrorũ repugnet inexhauſta profũditas;ego natalib.DIVIONENSIS,ſed voto,& affectu BONONIENSIS, quamdiu viuam,& fruar huius Cœli ſpirabili lumine veſter æternùm viuam.

------ Eo bono maius nihil

Vſquam arbitrabor, mente dum ſana fruar.

Tu interim ò BONONIA,quæ vna in Italia,à Theodoſio ſeniore,pura eloquentiæ,& ingenij trophæa iugiter cõſeruaſti,propitio numine promerere ſemper, factis, & virtutibus incolarum, vt a tuis doctiſſimis larib.prodeant,velut ab inexhauſta penu,ad grauiſſima imperij pondera,ſapientiæ Atlantes toto Terrarũ ambitu Illuſtriſſimi.hoc ego voueo,tueq.feliciſſimo genio n.e, meaq lubens meritò deico. Dixi.

